10

OBSERVATIONUM

IN

THUCYDIDEM

FASCICULUM II.

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

AC

NOMINE

RECTORIS ET PROFESSORUM

ORATIONES

IN REGIO GYMNASIO ILLUSTRI

Die XXVI. Septembris

HABENDAS

RITE INDICIT

CHRISTIAN. NATHANAEL OSIANDER,

Ph. D. eloqu. litt. hum. et hist. professor P. O.

MDCCCXXVIII.

STUTTGARDIAE,

ex Officina Fratrum Maentleriorum,

Typ. Aul. et Cancell.

§. 1. Ad Thucydidis l. II. c. 60. sqq. Pericles, cum Athenienses ingravescente pestilentiæ malo afflictos, et urgente belli calamitate exacerbatos videret; gravi oratione, viro tanto prorsus digna, civium animos tum placare studet, tum consolari, et erigere. Id vero præsertim agit orator, ut patriæ communis sensum et amorem in civium animis excitet, eosque, gloriæ stimulis exagitatos, quam direptis agris et prædiis fecissent jacturam, indignius ferre non patiatur. Sed cum gravem ipse invidiam in se contraxisset, non potest, quin sese ipsum auditoribus purget, et virtutes suas popularibus commendet. Expositurus vero quam bene de republica meruerit, ea utitur verborum exornatione, quam autor rhetoricorum ad Herennium l. IV. c. 25. gradationem vocat. „Mihine, inquit, tali viro, irasci audetis, qui persuasum habeam, me in iis, quæ ad rem faciunt, cognoscendis iisdemque explicandis nulli secundum, patriæ amantissimum et pecuniæ cupiditati non obnoxium esse. Si quis enim rerum peritus fuerit, nec luculenter queat de iis exponere, perinde est, ac si nunquam ista in animum induxisset. Si cui vero utrumque insit, nec idem patriæ bene cupiat, nihil in usus publicos ille profecturus videtur. At si vel hoc adfuerit, sed pecuniæ cupiditate aliquis sit inferior; hanc unam ob rem reliqua omnia venumdabit.“ Liceat, Demosthenis, quem alumnum quasi Thucydidei ingenii dixeris, qui potiorem aura populari salutem publicam habendam esse, ipsius Periclis exemplo (Olynth. III. ed. Schæfer, Lond. 1824. I. p. 23) docet, loca aliquot lectoribus in

mentem revocare, quae tum simile argumentum tractant, tum verborum structura a loco Thucydidis laudato haud aliena utuntur. Orator (pro corona c. 32. ed. Harles. p. 226) bene se patriæ cupere, et locupletium favorem juribus populi, Philippi vero largitiones et hospitium communi Græcorum saluti posthabuisse testatur: ibidemque c. 53 et 64 eandem fere, quam Pericles in prædicandis suis meritis adhibet gradationem. Cum universa ista Periclis oratione conferre juvat Ciceronis (de Oratore III. c. 34) judicium: „Pericles cum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriæ, severius tamen id ipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus ac jucundum visum esse: tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui aûdissent, aculeos quosdam relinqueret." Hanc ipsum de Pericle sententiam *Diodorus* (XII. p. 307. ed. Steph.) Eupoli poëtæ tribuit.

§. 2. c. 61. Και γαρ οἱς μεν αἱρεσις γεγενηται τἄλλα ἐυτυχουσι, πολλη ἀνοια πολεμησαι. rel.

Solerter de hoc loco disputavit *Doederlein*, vir clariss. (vid. *Seebode* Neues Archiv für Philol. und Pædagog. 1. u. 2tes Heft. p. 136) Τἄλλα ἐυτυχουσι sumitur, pro τἄλλα ποιουσιν ἐυτυχειν. De ellipsi verbi ποιειν adeundus est *Lambertus Bos* (de ellips. græcis ed. Schæfer. p. 646.) Sequentia ita explicantur: „Sin autem necessitas alicui imponatur, aliis se subjiciendi, optione tamen proposita, vel ut statim victas det manus, vel ita, ut de victoria decertet: (suppletur περι του ante περιγενεσθαι); is, qui certaminis periculum detrectaverit, in multo majorem incurrit reprehensionem, quam is, qui pugnam sustinuerit." Præcipuam, locum hunc ita interpretandi rationem suppeditant hæc: si consuetam sequaris interpretationem, Thucydides falso asseruisse existimandus esset, eum, qui periculo

fortiter suscepto superior discedat, μεμπτον esse posse. Imo vituperatur, quicunque τοις πελας ὑπακυει. Leviore vero reprehensione dignus censetur, qui armis decernere, licet iniquo Marte, ausus est, nec in leges ab hoste impositas protinus concessit.

§. 3. c 62. Ὁι πατερες ὃυ παῤ ἀλλων δεξαμενοι κατεχον τε και προσετι διασωσαντες παρεδοσαν ἡμιν ἀυτα.

Vocem ἀυτα ad opes Atheniensium referendam esse, dubium non est. Κατεχον bene vertit *Heilmann:* An sich gebracht. *Bredovius* vero: Kræftig niedergehalten. Quæ versio quid sibi velit, vix intelligitur: nisi forte de sociis Atheniensium imperio subjectis vir doctissimus cogitaverit, quos in obsequio Athenæ continuerint. Sed de sociis aut civitatibus subjectis in proximo sermo non est. Quare, licet κατεχειν *Thucyd.* IV. 92 de impetu hostium sustinendo, et III. 45 de cupiditatum imperio occurrat; tamen, cur hoc loco a solenniore verbi significatione: „occuparunt" quam *Plato* (de rep. II. ed. Bip. Tom. VI. p. 212) cum ἀρχην jungit, recedas, nihil causæ subest. Neque opponas: τῳ δεξαμενον istam notionem jam inesse: hoc enim ad παῤ ἀλλων referendum est, et opes nullo negotio, nullove patrum merito per manus quasi traditas indigitat. Cum deinde κατεχον, τῳ: διασωσαντες oppositum sit; ut occupandi sensu sumatur, contextus prorsus flagitat.

§. 4. c. 64. Το γαρ ἀπραγμον ὀ σωζεται, μη μετα του δραστηριου τεταγμενον.

Primo obtutu hæc verba secum pugnare videntur, quoniam otii amorem cum rerum gerendarum studio in iisdem hominibus junctum ægre cogites. Quare *Kistemaker*, opinionem hanc probabilem ipsi haud dubie reddente τῳ τοιωνδε πολιτων in capitis proximi initio, de duobus hominum generibus sermonem esse autumat, de otiosis civibus, qui incolumes esse non possint, nisi junctos secum, juxta

se habeant alterius generis cives, grandia molientes. Sed, ut largiamur, a Nostro το βϐλομενον, το ἑταιρικον, τὸ πολεμιον aliaque neutra singularia pro masculino plurali passim usurpari, (cf. *Poppo* ed. Thuc. I. 1. p. 104): fatendum tamen est, το ἀπραγμον, et το δραστηριον simpliciter positum hoc potissimum loco durius dici pro ὁι ἀπραγμονες, et cet.

Deinde, si ἀπραγμονες ii sunt, qui re ipsa nihil agunt; per reipublicæ Atheniensis rationes alteri civium parti haud licebat, otio indulgere, dum altera in rebus agendis versabatur: velut Dicæopolis ille in Acharnensibus *Aristophanis*, qui consuetum rerum ordinem joci causa data opera pervertit, pro se ipse pacem cum hostibus pactus esse fingitur. Quæ enim populi suffragiis in commune decreta erant, ea ab omnibus rata haberi oportebat. Sin autem sensus esse debeat: tranquillitatis cupidos salvos non fore, nisi alii cives rebus gerendis alacriter incumberent; ex autoris verbis talem significationem vix extorqueas. Etenim, qui lubenter feriantur, juxta cives magna conantes ægre collocantur, nec fieri potest, nisi ut alterum genus alterius conatibus plurimum officiat, ac ob id ipsum singulorum saluti male consulatur. In iisdem igitur hominibus autor vitæ tranquillæ studium rerum gerendarum amore aut diversis temporibus aut alio quopiam modo temperatum sumsisse existimandus est: quemadmodum de Germanis *Tacitus*, (de mor. germ. c. 15) quotiens, ait, bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt: fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agit: mira diversitate naturæ, cum iidem homines sic ament inertiam, et oderint quietem. Deinde το ἀπραγμον idem est, quod paulo superius: ἀπραγμοσυνη. (cf. Poppo l. c. p. 168) nec aliam ob causam illud pro hoc vocabulo ponitur, nisi ut τῳ δραστηριῳ adjectiva

forma concinne respondeat. Denique τοιοιδε πολιτων capite proximo ad eos traxerim, qui ἀσφαλως δουλευειν cupiunt.

§. 5. c. 64. Ἐι και ἐπελθοντες οἱ ἐναντιοι ἐδρασαν ἁπερ εἰκος ἠν, ἐπιγεγενηται τε ἡ νοσος.

Goeller l. c. I. p. 268 in not. ad hunc locum και et τε sibi putat respondere. Equidem haud assentio. Primum enim και, τε, inusitato et præpostero ordine positum foret, pro τε, και. Deinde τε per se ipsum vim habet copulativam, nec altera vocula semper indiget, id quod *Poppo* (obss. crit. in Thucyd. p. 14 sq.) docuit. Denique ἐι και cum latino interprete „licet" significare credimus, quod in contextum bene convenit. Nolite, ait Pericles, mihi succensere, quod vos integra vestra tranquillitate servire non passus sim, licet hostes ob id ipsum, irruptione facta, male vos multaverint.

§. 6. c. 64. ἡς (δυναμεως) ἐς ἀϊδιον μνημη καταλελειψεται. ἑλληνων τε ὁτι ἑλληνες πλειστων δη ἠρξαμεν. Heilmann, omisso τε, ἑλληνων ad μνημη perperam referens, vertit ita: Ja, wir haben dadurch den griechischen Namen überhaupt verewigt, indem wir als Griechen unsere Herrschaft so weit ausgebreitet Ut omittam, quod duplex genitivus a μνημη pendens aures offendat; vocula τε, nulla codicum auctoritate, eliminari non potest. Deinde ἑλληνων cum πλειστων commodissime jungitur: „non solum nos inter græcos populos longe plurimis græcorum civitatibus imperavimus: sed etiam et cet."

§. 7. c. 65. Egregia ibi legitur morum et virtutum Periclis adumbratio: ex qua de Pericle moderationem in bello Atheniensibus suadente paucula liceat disputare. Conferatur velim *Plutarchus* in vita Periclis c. 20. 21, ubi vir summus Athenienses jam ante exortum bellum Peloponnesiacum de Sicilia expugnanda cogitantes continuisse, et, ut consilio adeo temerario abstinerent, permovisse nar-

ratur: quæ quidem optime concordant cum Periclis admonitione apud Thucydidem c. 65. ὁδε ἡσυχαζοντας, και ἀρχην μη ἐπικτωμενους ἐν τῳ πολεμῳ μηδε τῃ πολει κινδυνευοντας ἐφη περιεσεσθαι. conf. I. 144. In eadem sententia Periclem perstiturum fuisse, si ætatem ad ea tempora, quibus expeditio illa sicula suscepta est, produxisset, neque Alcibiadi, sed Niciæ adstipulaturum fuisse, equidem credibile existimo. Etenim domesticæ Atheniensium opes bello et pestilentia attritæ quanquam pace ad tempus composita aliquantulum refocillatæ, ad Siciliam expugnandam vix sufficiebant, nedum ad tuenda, quæ armis pararent: quod recte monuit Nicias apud *Thucyd.* VI. 11. 20. 21. conf. *Plutarch.* in Nicia c. 12 et *Diodor.* lib. XII. sub fin. Thucydides ipse quidem expeditionem Siculam non omnino temerariam aut stolide susceptam sibi videri indigitat his verbis. ἀλλα τε πολλα ἡμαρτηθη και ὁ ἐς Σικελιαν πλους· ὁ ὀυ τοσουτον γνωμης ἁμαρτημα ἠν, προς ὀυς ἐπηεσαν, ὁσον. . . . Tamen et ipse inter ἁμαρτηματα aliquatenus eam refert. Nimium igitur Alcibiadis rationibus VI. 17. 18. tribuere videtur *Poppo* (Tom. I 2. p. 121) qui non adeo difficilem fuisse Siciliæ expugnationem contendit, ut prospero uti successu neutiquam posset. Quod ut largiamur; tamen, vel si fortuna diutius Athenis favente Syracusæ ipsæ captæ fuissent, facile erat auguratu, fore, ut tantam urbem Doricam a Jonibus teneri cum incolæ ipsi, octoginta triremibus (VII. 22) instructi, quæ cum urbe non protinus deditionem facturæ fuissent, tum reliqui Dores, præsertim Corinthii, qui I. 46 adversus Corcyræos nonaginta navium classem compararant, denique et Lacedæmonii non diu paterentur: ut igitur urbe tanto hominum et nummorum impendio parta Atheniensibus non sine maxima clade brevi cedendum esset.

§. 8. c. 69. Athenienses Melesandrum prætorem cum sex navi-

bus ad Lyciæ et Cariæ oram mittunt, ne piratæ Peloponnesiorum ἀυτοϑεν ὁρμωμενοι navium cursum e Phœnice et Phaselide venientium redderent infestum. Ἀυτοϑεν latinus interpres vertit: qui ex ipsa Peloponneso veniebant. *Heilmann:* um dem von Hause aus zu besorgenden Kreuzen der Peloponnesischen Freybeuter Einhalt zu thun. Nobis ad Cariam potius quam ad Peloponnesum ἀυτοϑεν pertinere videtur. Etenim Caria et loca vicina receptaculum piratis præbere poterant, unde profecti navigia Atheniensium mercatoria poterunt intercipere. Sin autem ex ipsa Peloponneso profecti fuissent, multo difficilius erat, insidiari navibus, ex Asia venientibus. Frigeret deinde oratio, si autor dixisset; piratas Peloponnesiorum ex ipsa Peloponneso proficisci. In promtu enim erat, nec diserte monendum, eos primum domo ad rapinas exercendas proficisci. Tum vero statione Melesandri pone Asiæ litus opus non erat, ad hanc profectionem ex portibus Peloponnesi impediendam. Animadvertimus, ἀυτοϑεν oppositum patriæ, et simili sensu aliquoties occurrere. cf. VI. 71. Accedit, quod ὁρμωμενοι ἐκ χωρας III. 31. IV. 1. non necessario de patria, sed sæpe de exteris locis, unde præsidiis belli petitis prodirent, accipitur.

§. 9. c. 76. Και δοκους μεγαλας ἀρτησαντες, ἁλυσεσι μακραις σιδηραις ἀπο της τομης ἑκατερωϑεν ἀπο κεραιων δυο ἐπικεκλιμενων και ὑπερτεινουσων ὑπερ του τειχους ἀνελκυσαντες ἐγκαρσιας, ὁποτε προσπεσεσϑαι πη μελλοι ἡ μηχανη, ἀφιεσαν την δοκον χαλαραις ταις ἁλυσεσι, και ὀυ δια χειρος ἐχοντες· ἡδε ῥυμη ἐμπιπτουσα ἀπεκαυλιζε το προεχον της ἐμβολης.

Heilmann consentiente in plerisque *Goellero* vertit: Sie nahmen grosse Balken, an deren beiden Enden sie lange eiserne Ketten befestigten, und solche über zween auswärts über die Mauer hinausgelehnten Bäumen queer über die Mauer *hiengen* etc.

Ἀνελκυσαντες perperam verti videtur: hiengen. Nec sufficit *Goeller:*

sie zogen queer hinauf. Nos quidem existimamus, ballistæ Romanorum, de qua *Adam* (Röm. Alterthümer, herausg. von Meyer, II. 134) parum luculenter exponit, aliquatenus similem fuisse istam Platæensium machinam, ita quidem, ut trabs, intrusa catenis ferreis, et magna vi retro tensa, deinde subito laxata, ingenti impetu, motu in arcum sinuato, arieti impingeret, eumque diffringeret. Etenim mero in pronum lapsu, cum altitudo muri non adeo grandis esset, fieri vix potuisset, ut aries pondere trabis irruentis diffringeretur. Quamobrem locum istum ita interpretamur: Auch befestigten die Belagerer grosse Balken an langen eisernen Ketten an beiden Enden, und spannten sie quer an zwei Stangen, die sich auf die Mauern stützten und darüber hinausragten, aufwärts zurück: und wenn dann das Sturmzeug im Begriff war, heranzustossen, so liessen sie den Balken an den sich schnell abspannenden Ketten aus den Händen los, und da er mit Gewalt auffiel, schlug er den Kopf des Mauerbrechers ab.

§. 10. C. 77 Οι πελοποννησιοι νομισαντες ἀπορον ἐιναι ἀπο των παροντων δεινων ἑλειν την πολιν. *Heilmann:* durch die bisher versuchte Gewalt: *Jacobi:* durch die bisherigen Zwangsmittel. Verisimilius nobis videtur, ἀπο των δεινων referendum esse ad ἀπορον: propter pericula imminentia aut pro iniquo rerum suarum statu tum obtinente desperabant, capi urbem posse. Ἀπο simili sensu apud Thucyd. IV. 130 occurrit: confer. etiam *Zeune* ad *Vigerum* C. IX. Sect. I. §. 16.

Ibidem. ἐπιπαρενησαι ab *Heilmanno*, vertente: sie warfen Reisbündel in die Stadt, falso legi et explicari, *Bredovius* monuit: sed idem a justo sensu aberravit, reddens: Sie suchten dergleichen aufzuhäufen, auch in der übrigen Stadt. Επιπαρενειν tantum juxta et extra mœnia congestos fasciculos significat. Nimirum ad ligna intro in

urbem jaculanda machinis opus fuisset, de quibus tacet Thucydides.

§. 11. c. 81. Ὀυ γαρ ἦν ἀνευ ὁπλων κινηθηναι. *Jacobi* temere legit aut vertit: Ohne Schwerbewaffnete durften sie nicht vorrücken. Rectius dixeris: sine armatura scilicet plenaria et gravi propter funditores ipsis e longinquo imminentes non iis licuisse longius procedere.

§. 12. c 87. Ὀυδε δικαιον, της γνωμης το μη κατα κρατος νικηθεν, ἐχον δε τινα ἐν ἀυτῳ ἀντιλογιαν της ξυμφορας τῳ ἀποβαντι ἀμβλυνεσθαι. Durissima mihi visa est constructio: της γνωμης το νικηθεν pro: την γνωμην νικηθεισαν. Etenim: partem animi sive fortitudinis, quia non per vim superata sit, non debere debilitari, quid sibi velit, vix intelligitur. Equidem της γνωμης cum ἀμβλυνεσθαι ita jungendum censeo, ut aut constructio prægnans sit, pro: της γνωμης ἐκπεσοντας ἀμβλυνεσθαι: aut ἀμβλυνεσθαι per se ipsum tanquam verbum, quod defectum indigitet, genitivus sequatur. Si lectione ad marginem nonnullorum codd. reperta το της γνωμης utaris: prona forent omnia. Sed της γνωμης vel pro se ipsum pro accusativo positum auctoritate non caret: conf. *Herodian.* III. 4. του ἐμπειρου πολυ των Ἰλλυριων ἀπελειπον. Το νικηθεν sc. μερος pro ὁι νικηθεντες poni posse, vix est, quod moneamus.

§. 13. Ibidem. Νομισαι, ταις μεν τυχαις ἐνδεχεσθαι σφαλλεσθαι τους ἀνθρωπους, ταις δε γνωμαις τους ἀυτους ἀει ἀνδρειους ὀρθως ἐιναι. Nisi forte ἐιναι pro δοκειν sumas: ὀρθως sensu consueto accipi vix potest. In mentem igitur nobis venit a prima vocis ὀρθος significatione (de qua conf. Thuc. V. 42. 46) hunc loci sensum repetere: sibi in consiliis constare et semper erecto animo fortes esse decet: ita ut ὀρθως opponatur τῳ σφαλλεσθαι.

§. 14. c 94. Και ὀυκ ἀν ἀνεμος ἐκωλυσε. Vitiose vertitur ab *Heilmanno*, quem *Jacobi* sequitur: wenn der Wind sie nicht aufgehalten hätte. Non enim cum ἐι ἐβλαβησαν sive cum protasi verba ista jungi possunt: sed propter ἀν ad apodosin debent pertinere. Isti versioni haud

dubie occasionem dederunt verba c. 93 Καὶ τις καὶ ἄνεμος λέγεται αὐτοὺς κωλῦσαι. Sed ipsam illam venti intemperiem leviorem fuisse colligas ex vocula τις: deinde verba nostro loco præcedentia, εἰ ἐβουλήθησαν μὴ κατοκνῆσαι id ipsum sibi volunt: si satis firmo consilio absque omni tergiversatione Piræeum voluissent adoriri, ventus ipse (cujus aut mutationem expectare, aut vim transverso cursu declinare poterant,) ipsis impedimento non fuisset.

§. 15. c. 96. 97. De Scythis pauca quidem sed memoratu non indigna affert Thucydides: cujus sententiam aliorum scriptorum, similem materiam tractantium, locis jam lubet illustrare. Primum illos in confinibus Getarum, quos trans Hæmum et circa australem Danubii ripam collocat, habitare dicit: unde colligas, de Scythis Europæis Thucydidem loqui, qui sinistram Istri ripam accolant, qua mari misceatur, proximis et ulterioribus locis idcirco non exceptis. De vitæ genere hæc habet: pari eos cum Getis cultu uti, sagitta ex equis pugnantes. Vagum igitur vitæ genus haud disertis verbis iis attribuit, quod tamen plerosque eorum secutos esse, magno consensu veteres sunt auctores: quanquam nonnullas stirpes agris colendis operam dedisse *Herodotus* tradit. De opibus Scytharum hanc Noster habet sententiam: Thracibus, quanquam inter Jonicum et Ponticum mare validissimis, illos prœliandi robore et copiarum numero longe esse superiores: nec ullum, vel in Europa, vel ne in Asia quidem populum, si singulos compares, Scythis æquiparari posse, aut parem futurum, siquidem concordes inter se fuerint. Quod vero res ad vitam necessarias adtineat, Scythas consilio et prudentia aliis populis inferiores esse. Memoratu dignum est, quod, quæ Thucydides de Scythis, eadem ferme de Thracibus perhibet *Herodotus* V. 3. nempe: præter Indos numerosissimam gentem

Thraces esse: quos, si communi unius imperio et consiliorum concordia uterentur, invictos futuros esse. De populis trans Istrum sitis nec secum prorsus nec cum Thucydide consentit Herodotus. Gentes enim, ait, (V. 9) in altera Istri ripa sitas propemodum obscuras et ignotas esse, nec de ulla se compertum habere, nisi de Sigynnis. Terram vero incultam sibi videri et in immensum patere. Idem vero IV. 99 Istrum in Scytharum finibus mari misceri sumit. (confer. *Arrian.* de exp. Al. I. 3) Cum vero Athenienses mercaturam haud sine quæstu cum Chersoneso Taurica, ubi Scythæ habitabant, exercerent, Thucydidi Atheniensi vel hanc ob causam copia erat, de Scythis vera comperiendi. Deinde cum ipse in Thracia diu habitasset, Thraces et Danubii accolas non potuit non probe cognitos habere: idemque populos Scythicæ originis non ad ostia solum Danubii sed ad interiorem quoque fluvii ripam habitare haud dubie credebat, melius Herodoto ista de re edoctus. Mirum vero non est, quod tantas opes Scythis Noster tribuerit, cum magnam borealium Europæ regionum partem et præterea Asiæ mediæ tractum haud exiguum tenere Scythæ crederentur: qua de re conferendi sunt *Diodorus* l. II. ed. Steph. p. 89. c 35. 43. *Justinus* II. 3. *Curtius* VI. 2. et *Bayer* in comment Petrop. I. p. 395 sqq. Parum vero cultu Scythas profecisse ideo Noster dicit, quod ab elegantioribus vitæ deliciis, artibus et mercatura alienæ, vagoque vitæ genere utentes nonnullæ eorum stirpes terram non arabant, de quibus *Aeschylus* (Prometh. vinct. 707 sqq.) canit: Ἡλιȣ προς ἀντολας Στρεψασα σαυτην, στειχ' ἀνηροτους γυας. Σκυθας δ'ἀφιξα νομαδας· οἱ πλεκτας στεγας πεδαρσιοι ναιουσ' ἐπ' εὐκυκλοις ὀχοις, ἑκηβολοις τοξοισιν ἐξηρτημενοι. Confer. quæ *Strabo* VII. §. 6. 9. de morum asperitate et exili victu Scytharum refert. *Eustathius* in commentar. ad *Dionysium* Periegeten v. 666 (p. 230 ed. Bernhardy

Lips. 1828) ex *Arriani* nescio quo libro refert: Scythas, cum agriculturæ olim operam dedissent, clade a Thracibus sibi illata, gravissimo sese obstrinxisse jurejurando, se deinceps sedibus certis non usuros, et in plaustris errando vitam pastoritiam acturos esse.

§. 16. Subjungimus jam nonnulla ad librum primum Thucydidis pertinentia, quæ, dum *Popponis* commentarios integros, nondum editos, frustra expectabamus, in schedis nostris partim retenta, jam, sollicitante nova, quæ prelo nuper exiit, interpretatione, alteri annotationis nostræ fasciculo liceat inserere.

I. c 2. Και παραδειγμα τοδε του λογου ὀυκ ἐλαχιστον δια τας μετοικιας ἐς τα ἀλλα μη ὁμοιως ἀυξηθηναι.

De loco hoc vexatissimo quid sentiamus, pace virorum doctorum exponamus. Του λογου idem esse, quod λελεγμενου, et ad sequentia referendum esse, bene docuit *Wyttenbach*, (in eclogis histor. ed. aucta 1827. p. 280) confer etiam *Poppo* obss critt. p. 181. Sed persuadere nobis non possumus, Atticam, licet proxima periodo memoratam pro subjecto του ἀυξηθηναι habendam esse. Attica enim, in tanta civium et inquilinorum frequentia, de qua paulo inferius sermo est, quamobrem non crevisse perhiberi possit, nequaquam liquet. Soli enim Attici tenuitas, de qua supra mentio injicitur, tutiore ab hostium incursionibus Atticæ conditione pensatur. Asperior vero et a græci sermonis perspicuitate abhorrens videtur ea verborum complexio, quam Wyttenbach sequitur; [την Αττικην] δια τας μετοικιας, ἐς τα ἀλλα μη ὁμοιως, ἀυξηθηναι: quasi Thucydides scripsisset: δια τας μεν μετοικιας ἀυξηθηναι, ἐς δε τα ἀλλα μη ὁμοιως.

His potissimum rationibus permoti totius capitis subjectum, ἑλληνες, huic quoque loco substruimus, sic interpretantes: sequentis sententiæ: [του λογυ] græcas nempe civitates propter migrationes in

ceteris non similiter auctas esse, argumentum hoc est non levissimum... Ες τα ἄλλα cum ambiguum sit, utrum ad regiones, (quod quidem nobis paulo probabilius videtur) an ad vitæ cultum, opes et talia pertineat, nos lectori arbitrium relicturi data opera reddidimus: im Uebrigen. Neque vero cum *Goellero* jungere velim: μετοικιας ἐς τα ἄλλα. Sic enim, quod a Thucydidis dictione alienum est, ἐς τα ἄλλα otiosum foret. Neque cum *Müllero* (Thucydides Gesch. d. pel. Kriegs, übersetzt von Hieronymus *Müller*, Prenzlau 1828) qui vertit: dass andere Länder durch Umzüge nicht gleich diesem gewonnen haben, το ἐς omiserim: sic enim, nulla codicum auctoritate textui vis temere infertur. Μη ὁμοιως dubium est, utrum Græciam ab Attica sola, an reliquas quoque inter se provincias incrementi tenuitate discrepasse, indigitet. Illud tamen nobis veri similius videtur.

Denique μη ὁμοιως αὐξηθηναι, haud difficulter poni posse, pro: ὁτι μη ὁμ. ηὐξηθησαν, multa Thucydidis loca fidem faciunt. Summa vero sententiæ, quam in universo capite probandam autor sibi sumit, hæc est: Græciam, cum solum sæpe verterent incolæ, tarda et tenuia et inæqualia olim cepisse incrementa. Atticam vero propter ipsam proventus tenuitatem, incursionibus exterorum, minus obnoxiam ideoque tutiorem ac incolis frequentiorem factam esse.

§. 17. l. c. 20. Τοιαυτα εὑρον τα παλαια, χαλεπα ὀντα παντι ἑξης τεκμηριῳ πιστευσαι. *Müller* parum accurate vertit: kaum glaubhaft bei Verfolgung jeglicher Spur.

Bredov. So beschaffen fand ich die ältern Begebenheiten, dass es schwer ist, sie zu glauben, wenn man in jeglichem Falle der Reihe nach Beweis verlangt: temere vertit, quasi legatur: τοιαυτα. ἑ. τα παλ. ὡςε χαλεπα εἰναι πιστευσαι, ει δεοι παντι ἑξης τεκμηριῳ πιστευσαι.

Omiserunt interpretes, ea, quæ Thucydides memoriæ mandavit, nequaquam difficilia esse ad credendum, quia priusquam literis ea proderet, fabulosa jam diligentissima disquisitione a veris secreverat. Vetustatem potius universam eo vitio laborare dicit, quod auctoritates, si singulas, quæ forte offerantur, percenseas, dubiæ sint fidei: cujus rei exemplum, quæ de Hipparchi cæde narrentur, excitat.

Ibidem. ὡς πρεσβυτατος ἠρχε των Πεισιστρατου υἱεων.

Müller vitiose vertit: dass Hippias seinen Brüdern gebot: manifesto ἠρχε tyrannidem Hippiæ indicat; et genitivus των υἱεων pendet a πρεσβυτατος. Id ipsum enim refutandum sibi sumit Thucydides, quod alii perhibuerant, Hipparchum cum Hippia Athenis imperasse. Consentientem habemus Scholiasten, qui disertis verbis dicit: ἠρχε των Ἀθηναιων.

§. 18. l. c. 33. μηδε δυειν φθασαι ἁμαρτωσιν, ἡ κακωσαι ἡμας, ἡ σφᾶς αυτους βεβαιωσασθαι.

Müller negligentius reddit: damit nicht die Erreichung beider Zwecke ihnen fehlschlage, uns zu schaden, und die eigene Macht zu befestigen. Liquet, ab eo φθασαι, et particulas ἡ, ἡ omissas esse. Reddenda potius verba sunt in hunc sensum: Damit von ihren Zwecken wenigstens Einer vorläufig nicht unerreicht bleibe, entweder uns zu schwächen, oder sich selbst zu stärken.

§. 19. c. 36. Τοδε θαρσειν μη δεξαμενον ἀσθενες ὀν προς ἰσχυοντας τους ἐχθρους ἀδεεστερον ἐσομενον.

Müller explicat: Dass seine unmächtige Sicherheit, die uns zurückweist, gegen mächtige Feinde gefährlicher seyn wird.

Ἀδεεστερον ita forte sumendum credidit, ut α intensivum sit: sed ista significatio omni auctoritate destituitur. Scholion recte inter-

pretatur: φοβον μη εμποιειν, ασφαλες. Deinde φοβησον in antithesi prorsus flagitat sensum: Id, quod metum hostibus non incutit.

§. 20. I. c. 37. Ἢν δε τι που προσλαβωσιν, αναισχυντωσιν. Nos quidem duorum codd. apud Popp. lectionem: προλαβωσιν potiorem esse duximus, quia πλεον εχωσιν in proximis occurrit: ac usitatam lectionem si admittas, otiosa ejusdem fere notionis repetitio antori vitio verti possit.

Poppo lectionem αναισχυντωσι pro: αναισχυντωσι recte retinuit, quia indicativus nexum et concinnitatem periodi turbaret.

Male *Müller* reddit: Unverschämt jeden irgend erlangten Vortheil zu behaupten. Alius enim sensus cum præcedentibus optime cohæret: Idcirco Corcyræi fœderibus abstinent, ut, si quid raptim occupandi copia fiat, absque pudore, nullius testis præsentia confusi facere id possint. Sine dubio oratio Corinthiorum ad Corcyræorum impotentiam, quacum maris imperium circa Jonicas insulas exercerent, et ad piraticam, cui, conniventibus magistratibus cives indulgerent, alludit, unde mercaturæ Corinthiorum damnum passim allatum esse, verisimile est.

§. 21. I. c. 41. παραινεσιν δε και αξιωσιν χαριτος τοιανδε, ἣν ουκ εχθροι οντες, ωστε βλαπτειν, ουδ' αν φιλοι, ως' επιχρησθαι, αντιδοθηναι ἡμιν εν τῳ παροντι φαμεν χρηναι. Sensus est: Primum nos Corinthii jure a vobis postulamus, ut fœdere cum Corcyræis abstineatis. Deinde cum nec ii simus, qui hostilem animum erga vos geramus, ita ut damnum vobis inferre gestiamus, nec ii, quibus tam angusta amicitiæ necessitudo vobiscum intercedat, ut metui locus sit, ne vobis sæpius abutamur, sive auxilio importunius flagitando molestiam facessamus: cum denique bene de vobis olim meruerimus; jamjam ut fœdere nobiscum ineundo gratiam nobis referatis, oramus et exposcimus.

Ita vero locum vertit sive sensum prorsus pervertit *Müller*: Wir haben auch eine Aufforderung und Anmahnung zur Dankbarkeit, die Ihr, behaupten wir, uns, denen Ihr weder als Feinden zu schaden, noch als Freunden beizustehen, Veranlassung habt, im gegenwärtigen Falle schuldig seyd.

Liquet, interpretem secum pugnantia loquentes inducere Corinthios. Quo pacto enim Athenienses, quorum opem implorant Corinthii, dicere autor possit, nullam copiam aut opportunitatem habere his auxiliandi, eosdemque gratiæ istis referendæ officio teneri. Accedit, quod idem subjectum, quod in φαμεν latet, pro orationis græcæ tenore, nempe ἡμεις sive Corinthii, ad βλαπτειν et ἐπιχρησθαι pertinere debet.

§. 22. I. c. 70. τοις μεν σωμασιν ἀλλοτριωτατοις ὑπερ της πολεως χρωνται, τῃ δε γνωμῃ οἰκειοτατῃ ἐς το πρασσειν τι ὑπερ αὐτης.

Müller, *Portum* aliosque secutus, ita reddit: „Ganz fremder Arme bedienen sie sich für ihre Vaterstadt: aber selbst eigener Klugheit, etwas für dieselbe zu wirken. Ut largiamur, sociis navalibus, aliunde conductis usos esse Athenienses (cf. I. 121. ὠνητη γαρ ἡ των Ἀθηναιων δυναμις μαλλον, ἡ οἰκεια); tamen universas copias nequaquam peregre collegerunt (cf. II. 13) et pedestri militi potissimum domestico patriæ custodiam demandarunt. Deinde quid tandem nervi hoc loco inesset commemorationi militum mercenariorum, quibus passim Athenienses utebantur. Id enim agit orator, ut, quanto jure Athenienses, si hostes sint, metuantur, evincat; unde proficiscitur, oratorem, si militiæ Atheniensium vires elevare voluisset, contra id, quod sibi propositum erat, dicturum fuisse. Rectius itaque sic locum interpreteris: Corpora, ipsamque vitam pensi non habent, quasi aliena ista sint: animos contra et consilia, quæ

agitant, veras suas opes, unice quasi sibi proprias, existimant. Præterea ἀλλοτρια eodem sensu occurrit apud *Isocratem*, (Panegyr. c. 24) et *Lysiam* (epitaph. c. 21) confer. etiam quæ *Goeller* docte ad h. l. annotavit.

§. 23. l. c. 102. Της δε πολιορκιας μακρας καθεστηκυιας τουτο ἐνδεα ἐφαινετο· βια γαρ αν ἑιλον το χωριον. Quæritur, utrum Lacedæmonii, an Athenienses ii putandi sint, qui arte obsidionali parum valuisse dicantur: deinde utrum de priori belli Ithomensis ætate ante Atheniensium adventum, an de posteriori, quo copias suas cum Lacedæmoniis junxerant, verba ista intelligenda sint. In utramque partem viri docti disputarunt. Quum teste *Herodoto* IX. 70. Lacedæmonii artis illius rudes essent, ad hos verba optime conveniunt. *Reiske* vero de Atheniensibus ea vult accipi: Apparebat, ait, his non esse peritiam hujus rei, parem expectationi Lacedæmoniorum. βια γαρ αν ἑιλον . . . . aliâs vi fuissent urbem capturi. Sed istud „aliâs" violenter heic intruditur. Nec intelligere licet, quare Athenienses, artis obsidionalis olim peritissimi, jam duce Cimone pristina gloria inferiores repente se præstiterint. Existimamus igitur, βιαν opponi τῃ τε τειχομαχων τεχνῃ: et sensum esse: per vim si stetisset, si omne rei momentum in copiarum numero et robore positum fuisset; tum Lacedæmonii castello ipsi potiti fuissent.

Observamus, quod in superioribus lectio της δε, pro τοις δε, quam *Reiske* quidem et *Goeller* aspernantur, sed *Bekker* et *Poppo* codicum duodecim autoritate tuentur, ab nostra opinione non abhorret. Duæ enim rationes, propter quas Athenienses in auxilium vocati fuerint, afferuntur: prior, quia ipsi obsidendi arte pollere viderentur: posterior, quia ab altera parte (δε) obsidione parum procedente hanc ipsam artem deesse appareret. Præterea δε non mere

opponendi, sed et continuandi passim vim habet. Scholiastes autem δὲ, idem quod γὰρ sonare, contendit.

Sed abrupto jam annotationis nostræ filo accingimur ad producendos in medium juvenes ornatissimos, qui scholæ nostræ valedicturi pro rostris gymnasticis verba facient.

Primo loco dicturus est *Henricus Ehalt*, Nicrosulmensis, juris studiosus, germanica oratione, de hominum moribus, eorumque causis. Deinde

Fridericus Reiff, Vayhingensis, theolog. consecr. græce, de juventutis indole. Tertio loco

Carolus Adolphus Liesching, Waiblingensis, theol. stud. latine, de ætatis virilis ingenio. Quarto loco

Ludovicus Augustus Carolus Rœmer, Stuttgardianus, theol. stud. latine, de honoris cupiditate. Quinto

Carolus Fridericus Jäger, Stuttgart. theol. stud. gallice de humanitate. Sexto

Christianus Guilielmus Binder, Ludovicopol. theol. stud. ebraice, de vera in Deum pietate. Septimo

Carolus Gustavus Schwab, Stuttgart. juris stud. latine, de indole Romanorum et Græcorum invicem comparata. Octavo

Gustavus Barth, Stuttg. theol. stud. germanice de hominum medii ævi moribus. Denique

Johannes Fallatti, Hamburgensis, juris stud. germanice, de seculi nostri vitiis, eorumque remediis perorabit.
